Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2875
Quelle:
Copyright:

Ponendo baculum fastu cessare doceris,
Ne laesus laedas, virga remota docet.

Edit. *affingere cordi.* Cod. *affigere.* Edit. *col.* 1138. *bis sua membra fovent.* Cod. *favent.* Edit. *Melchisedech Domino sacrificasse ferunt.* Cod. *Melchisedech fertur sacrificasse Deo.* Edit. *col.* 1139. *Ista sacramenta modo.* Cod. *ista sacranda modo.* Edit. *nam Pontificum maledicta.* Cod. *nam reproba principis acta* Edit. *Pontificum vitulus* et *ipse luit.* Cod. *Principis hic vitulus* et *igne luit.* Edit. *col.* 1140. in not. *petiit, quia clarificavit.* Cod. *petiit quia clarificari.* Edit. *Stratus humi trinus.* Cod. *Iam ter humi stratus.* Edit. *Anxietas habita* et *Supremo Patri victima grata fuit.* Cod. *Iam tunc anxietas* et *Et veteri ritu gratior una fuit.* Edit. *Mentis enim requie gratificamur ei.* Cod. *Mens etenim requie gratificatur ei.* Edit. post v. *Nam grates agere* &c. omittit:

Glorificando deum quaerimus esse Dei.
Qui cum dixisset, dormite, quiescite subdit;

Expendat haec Lector, et saltem in plurimis a *Codice* stabit. Secundo subjunctum est Carmen aliud hexametricum ὁμοτελευτον de Vanitate et Contemtu Mundi olim *Bernhardi* Creditum. Vide Edit. *Maur. Vol.* II. T. 5. *col.* 891. Incipit:

Cartula nostra tibi portat dilecte salutes.
Mira uidebis ibi, sed non hec dona refutes.
Dulcia sunt animę solatia que tibi mando.
Sed prosunt minime, nisi serues hec operando &c.

Sunt versus CVI. et finiunt:

Accipiet uere, qui uult hec iussa tenere.

DCCXCV.

21 Codex membraneus germ. Sec. XIV. Folior. 327. f. max. eleganter scriptus, multoque auro et picturis dives continet Versionem *Rationalis Divinorum Officiorum Guilelmi Duranti* Episcopi Mimatensis. Egit de eo jam *Lambecius L. II. pag. 778. edit. Kollar. col.* 582. et luculenta quaedam ex anonymi Interpretis Praefatione loca de introductione Facultatis Theologicae in Academiam *Vindobonensem*, deque Linguarum latinae, germanicae et vindicae indole, propagatione, studio repraesentavit, ad quae lectorem remittimus, alia minutius persecuturi. Itaque litera dictae